



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 11. Paupertate[m] & diuitas in vtramq[ue] partem, hoc est, bene & malè
posse adhiberi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

trantur. Hinc illorum cantilena est:

Petron:
Arbit. in
Satyr.

*Quisquis habet nummos, secura nauiget
aura,*

Fortunamq₃ suo temperet imperio.

Vxorem ducat Danaën, ipsumq₃ licebit

Acrisium inbeat credere, quod Danaën.

*Carmina componat, declamet, concrepet,
omnes*

Et peragat causas, sitq₃ Catone prior.

Jurisconsultus, paret, non paret, habeto,

Atque esto, quidquid Seruius & Labeo.

*Multa loquor: quiduis nummis presentibus
opta,*

Et veniet: clausum possidet arca Iouem.

§. XI.

*Paupertatem & diuitias in utramq₃ partem,
hoc est, bene & male posse adhiberi.*

Ex altera hominum classe colligo, paupertatem, seu orbitatem rerum esse calamo, aut penicillo, aut cuius instrumento similem. Qualis is est, qui eo utitur, tale opus producit. Da calamum puero, & tales characteres formabit, quales gallina scalpit in arenis. Si scriba peritus calamū ducat, litteras dabit Iouis tabellā dignas. Penicillum porrige ei qui chiragrā laborat, ex Gratijs Furias faciet; Apelles autem aliquis, & qui
manum

manum habet sanam, ipsas Furias ita ad vivum exprimet, ut iures eis omnes Gratias Veneresque inesse. Ita ad eandem lyram, si asinus veniat, & Apollo, quàm diversam musicam audies? Tale instrumentum est paupertas, ea si cupido, si improbo, si impatienti obueniat, erit illi occasio omnium vitiorum; quemadmodum & diuitiæ esse solent. Quòd si verò animus moderatus vel diuitias acquirat, vel inopiam patiatur, quàm bene alterutris utetur? inopia quidè, quia tamquam spiritu pauper, non dolebit, argento amisso: diuitijs autem, quia illis cor non apponit. Itaq; ut per scalas alij ascendunt, descendunt alij, ita per opes & inopiam, alijs via est ad cælum, alijs ad Orcum. Quemadmodum enim nihil refert, vtrum hominem ægrum in sella lignea, an aurea portes: quocumq; illum transfuleris, morbum suum secum aufert: ita nihil refert, vtrum æger animus in diuitijs sit, vel in paupertate; malum suum semper illum sequitur. Qui malus est, in inopia furatur: in abundantia prædatur; deijcitur in egestate; inter thesauros insolescit. Bonus, si abundat, pauperibus donat; si perdidit omnia, nomen Domini benedicat, aitque se nunc

expeditiùs ire ad cælum. Sapienter Socrates diuitias, aiebat, in manu improbi, esse velut gladium in manu phrenetici, cui gladius ad nihil seruit, nisi & in propriam perniciem, & in exitium aliorum; ita enim opes si sunt in manu hominis mali, ad vindictam, ad luxum & luxuriam, ad comestationes & comotationes, ad mille vanitates illi sunt adiumentum; ast in manu Deum timentis, & pij, ad eleemosynas, ad liberalitatem exercendam, ad omnia opera præclara seruiunt. Ad eundem quoq; modum paupertas bonis fit bona, mala malis; non quòd ipsa mala, sed quia illius vsus aliò trahitur, quàm à Deo destinatur. Similis est ergo aquæ Ægyptiorum, quæ, vt Iosephus tradit, in manu quidem Israëlitarum aqua munda; at si quis eam Ægyptius hauisset, fœdus sanguis fuit. Ad eundem modum paupertas, apud homines frugi & gnauos, limpida est, & virtutum parens; apud ignauos vertitur in sanguinem peccatorum. Quàm benè paupertate sua vsus est Lazarus? quàm præclare & paupertate, & diuitijs Iob? cum egeret, patientia; cum abundaret, conspicuus fuit liberalitate, vt dicere auderet:

Exod. 7. *Oculus fui caco, & pes claudus, pater eram pauperum.*

Iob. 29.
15.

perum. Itaque ut vino alij sanantur, alij ad insaniam rediguntur; sic diuitijs & inopiâ nonnulli exorbitant, nonnulli excitantur ad virtutem amplexandam.

§. XII.

Cur quidam voluntariam paupertatem eligant?

Tertia classis *voluntaria frugalitatis*, ut eam veteres philosophi vocabant, seu paupertatis, monstrat, etsi tam copia, quam inopia res sit quædam ex se indifferens, qua bene, vel malè uti possunt mortales, longè tamen difficilius esse, modum tenere in diuitijs, quàm in paupertate, ac proinde diuites proniùs virtutem exuere, pauperes constantiùs retinere. Hinc sapientiores plerumque sese opibus sponte abdicârunt, quas scaphæ similes sunt arbitrati. Scapham qui flumini imponit, & aquæ decurrenti permittit, facili negotio, ipsius aquæ ductu ad mare vsque descendet. Quòd si autem contra fluminis impetum eam sursum propellere, & ad caput navigare fontemq; velit, poterit quidem, sed non æquè facile, quia ratis conto subigenda, laborandû, & sudandum est. Nummi, & opes talis scapha sunt, quas si in eum cursum, quem modo

dò